

Concilio de Braga II: a. 572

(texto según Vives, J; Marín T. y Martínez, G. (eds.),
Concilios visigóticos e hispano-romanos, Barcelona-Madrid, CSIC, 1963, pp. 78-106).

SYNODUS BRACARENSIS SECUNDA XII EPISCOPORUM REGNANTE DOMINO NOSTRO IESU CHRISTO CURRENTE ERA DCX, ANNO SECUNDO REGIS MIRONIS DIE KALENDARUM IUNIARUM

Quum Galleciae provinciae episcopi tam ex Bracarensi quam ex Lucensi synodo cum suis metropolitanis praeceptione praefati regis simul in metropolitana Bracarensi ecclesia convenissent, id est Martinus, Nitigis, Remisol, Andreas, Lucetius, Adoricus, Witimer, Sardenarius, Viator, Anila, Polimius, Mahiloc, consedentibus his simul episcopis atque universo clero praesente, Martinus Bracarensis ecclesiae episcopus dixit: Inspiratione hoc Dei credimus provenisse, sanctissimi fratres, ut per ordinationem domni gloriosissimi filii nostri regis ex utroque concilio conveniremus in unum, ut non solum de visione alterutra gratulemur, sed etiam ea quae ordinationem et disciplinam ecclesiasticam pertinent pariter conloquamur; scriptum est enim in evangelii dicente. Domino: «Ubiquumque fuerint duo vel tres in nomine meo congregati, ibi ero in medio eorum.» Nitigis Lucensis ecclesiae episcopus dixit: Nec aliud potest credi nisi ea, quae ad utilitatem nostrarum pertinent animarum divina inspiratione et inquiri et perfici posse, et ideo unanimes omnes atque id ipsud in Domino sentientes quaequumque ad instructionem nostram pertinent in medium prolata desideramus agnoscere. Martinus episcopus dixit: Arbitramur vestram beatitudinem recordari quia quum primum in ecclesia Bracarensi episcoporum concilium congregatum est, post multa quae ad concordiam rectae fidei fuerant roborata aliqua etiam quae regularem sanctorum [canonum] continent discretionem firmavimus, quorum utilitas ut possit evidentius in memoriam revocari, ipsa si vobis placet epistola in vestra praesentia relegatur. Omnes episcopi dixerunt: Oportet omnibus modis ut in omnium auribus qui hic adstant recitetur.

Recitatis ergo capitulis, quae ne prolixitatem facerent his gestis minime sunt inserta, Martinus episcopus dixit: Haec ergo quae modo sunt recitata, quae nobis tunc aut varia aut dubia aut inordinata sunt visa, auxiliante Deo directa sunt et suam immobiliter obtinent firmitatem: quae autem tunc in memoriam non venerunt aut onerosum fuit in primo illo concilio multa simul ingerere, necessarium videtur modo ad notitiam sanctae vestrae caritatis deferri, eo specialiter prospectu ut speciali ventila[ta] examine purgentur. Sancti enim patres ac praecessores nostri aut generales synodos undique collecti pro unitate rectae fidei fecerunt, sicut in Nicaea contra Arium CCC X VIII, et in Constantinopolim contra Macedonium C L, et in Efeso contra Nestorium CC et in Chalcedona contra Eutichen DC XXX, aut certe speciales synodos per suas unusquisque provincias pro resecandis contemtionibus vel emendandis aliquorum negligentibus colligerunt et prout eventus culparum aut qualisquumque excessus exegit per singulas quasque definitas canonum sententias mediante inter eos Dei spiritu conscribserunt, quas oportet nos legere et intelligere et tenere. Et quia opitulante Christi gratia de unitate et rectitudine fidei in hac provincia nihil est dubium, illud modo nobis specialis est agendum, ut si quid fortasse extra apostolicam disciplinam per ignorantiam aut per negligentiam reprehensibile invenitur in nobis recurrentes ad testimonia sanctarum scripturarum vel antiquorum canonum instituta adhibito communi consensu omnia quae displicuerint rationabili iudicio corrigamus; et primum, si placet, relectis beati Petri apostoli praeceptis, quae pro regula sacerdotum in sua epistola evidenter scripsit,

quidquid non eodem tenore sicut princeps apostolorum edocuit agi videtur a nobis sine ulla cunctatione ad emendationem ducere festinemus, ne fortasse dum aliis praedicamus ipsi reprobis effecti divino illo condemnemur eloquio dicente: «Tu vero odisti disciplinam et proiecisti sermones meos post te.» Omnes episcopi dixerunt: Cupimus apostoli Petri epistolam ad locum, ubi sacerdotes docet, audire.

Tunc adlato libro haec ex eadem epistola recitata sunt: «Seniores obsecro consenior: pascite qui est in vobis gregem Dei providentes non coacti sed spontanee secundum Deum, neque turpis lucri gratia, sed voluntarie, neque ut dominantes in clericis sed formae facti gregi ex animo, et quum apparuerit princeps pastorum recipiatis inmarcescibilem gloriae coronam.» His relectis omnes episcopi dixerunt: Cognitis his quae ex epistola beati Petri apostoli recitata sunt, desideramus auxiliante Dei gratia divinis obedire praeceptis et apostolica epistola, quae nobis recitata est in his omnibus formulam imitari ne forte in aliquibus inordinate ambulantes divino, quod absit, iudicio condemnemur, sed ut sanctorum patrum vestigia subsequentes in ipsorum requiem mereamur esse participes et inmarcesibilem illam gloriae consequentes in ipsorum requiem mereamur esse participes et inmarcesibilem illam gloriae coronam, quae repromissa est cum ipsis accipere mereamur. Ob hoc ergo tuam simul omnes deposcimus karitatem, ut has omnes causas singulis capitulis comprehensas, qualiter corrigi debeant his gestis subter adnectas, quum studiosius relecta et in notitiam omnium nostrum evidentius fuerint perducta propria unusquisque manu pro eorum emendatione et confirmatione subscribat, ut non solum nobis sed etiam successoribus nostris haec ad perfectionem episcopalis officii decreta proficiant.

I. Ut episcopus ambulet per diaecesim suam et ante viginti dies Paschae catechumeni doceantur symbolum.

Placuit omnibus episcopis atque convenit, ut per singulas ecclesias episcopi per diaeceses ambulantes primum discutiant clericos, quomodo ordinem bapismi teneant vel missarum et quaequumque officia in ecclesia teneant vel quomodo peragantur; et si recte quidem invenerint, Deo gratias; sin autem minime, docere debeant ignaros, et hoc modis [omnibus] praecipere, et sicut antiqui canones iubent ante dies XX bapismi ad purgationem exorcismi cathecumeni currant; in quibus XX diebus omnino cathecumeni symbolum, quod est: «Credo in Deum Patrem omnipotentem», specialiter doceantur. Postquam ergo haec suos clericos discuserint vel docuerint episcopi, alio die convocata plebe ipsius ecclesiae doceant illos, ut errores fugiant idolorum vel diversa crimina, id est homicidium, adulterium, periurium, falsum testimonium et reliqua peccata mortifera, aut quod nolunt sibi fieri alteri non faciant, [et] ut credant resurrectionem omnium hominum et diem iudicii, in qua unusquisque secundum sua opera recepturus est, et sic postea proficiscatur ad aliam.

II. Ut episcopus per diaecesim ambulans duos solidos tantum accipiat [neque tertiam partem de oblationibus quaerat, et ut clerici non cogantur more servili].

Placuit ut nullus episcoporum, quum per suas diaeceses ambulantes praeter honorem cathedrae suae id est duos solidos aliquid alibi per ecclesias tollat, neque tertiam partem ex quaequumque oblatione populi in ecclesiis parochialibus requirat, sed illa tertia pars pro luminaria ecclesiae vel recuperatione servetur, ut singulis annis episcopo inde ratio fiat: nam si tertiam partem illam episcopus tollat, lumen et sacra tecta abstulit ecclesiae. Similiter et ut parochialis clerici servili more in aliquibus operibus episcopi non cogantur, quia scriptum est: «Neque vi dominantes in clero.»

III. *Ut episcopus in ordinatione clericorum commodum nullum accipiat.*

Placuit ut de ordinationibus clericorum episcopi munera nulla accipiant, sed ut, scriptum est quod gratis donante Deo accipiunt gratis dent et non aliquo pretio gratia Dei et inpositio manuum venundetur; quia antiqua definitio patrum ita de ecclesiasticis ordinationibus statuit dicens: Anathema danti et accipienti. Propterea quia aliquanti multis sceleribus obruti sancto altario indigne ministrantes non hoc testimonium bonorum actuum sed profusione munerum obtinent, oportet ergo non per gratiam munerum sed per diligentem prius discussionem deinde per multorum testimonium clericos ordinare.

IV. *Ut pro chrismate episcopus nicil accipiat.*

Placuit ut modicum balsami, quod benedictum pro babtismi sacramentu per ecclesias datur, quia singuli tremisses pro ipso exigi solent, nihil ulterius exigatur, ne forte quod pro salute animarum per invocationem Sancti Spiritus consecratur, sicut Simon magus donum Dei pecunia emere, ita nos venundare damnabiliter videamur.

V. *Ut pro consecratione basilicae episcopus nicil exigat.*

Placuit ut quotiens ab aliquo fidelium ad consecrandas ecclesias episcopi invitantur, non quasi ex debito munus aliquod e fundatore requirant, et si ipse quidem aliquid ex suo voto obtulerit, non respuatur; si vero aut paupertas illum aut necessitas retinet, nicil exigatur ab illo. Hoc tantum unusquisque episcoporum meminerit, ut non prius dedicat ecclesiam aut basilicam nisi antea dotem basilicae et obsequium ipsius per donationem chartulae confirmatam accipiat; nam non levis est ista temeritas, si sine luminariis vel sine sustentatione [eorum] qui ibidem servituri sunt, tanquam domus privati, ita consecretur ecclesia.

VI. *Ut qui oratorium pro quaestu suo in terra suo fecerit non consecretur.*

Placuit ut si quis basilicam non pro devotione fidei sed pro quaestu cupiditatis aedificat, ut quidquid ibidem oblatione populi colligitur medium cum clericis dividat, eo quod basilicam in terra sua ipse condiderit, quod in aliquibus locis usque modo dicitur fieri, hoc ergo de cetero observari debet, ut nullus episcoporum tam abominabili voto consentiat, ut basilicam quae non pro sanctorum patrocinio sed magis sub tributaria conditione est condita, audeat consecrare.

VII. *Ut de babtizatis nullus accipiat praemium.*

Placuit ut unusquisque episcopus per ecclesias suas hoc praecipiat, ut hii qui infantes suos ad babtismum offerunt, si quid voluntarie pro suo offerunt voto, suscipiatur ab eis. Si vero per necessitatem paupertatis aliquid non habent quod offerre, nullum illis pignus violenter tollatur a clericis, nam multi pauperes hoc timentes filios suos a babtismo retrahunt, qui si forte dum differunt sine gratia babtismi de hac vita recesserint, necesse est ut ab illis eorum perditio requiratur, quorum expolia pertimescentes a babtismi se gratia retraxerunt.

VIII. *Ut qui clericum accusaverit et ei non probaverit, excommunicationetur.*

Placuit ut si quis aliquem clericorum in accusatione fornicationis inpetit, secundum praeceptum Pauli apostoli duo vel tria testimonia requirantur ab illo, quod si non potuerit datis testimoniis adprobare quae dixit, excommunicationem accusator excipiat.

VIII. *Ut per singulos annos a metropolitano episcopis Pascha praenuntietur.*

Placuit ut postquam omnia in concilio sacerdotum fuerint ordinata, illud omnimodis observetur, ut superventurum ipsius anni Pascha coto kalendarum die vel cota luna debet suscipi a metropolitano episcopo nuntietur, quod ceteri episcopi vel reliquus clerus breviculo subnotantes unusquisque in sua ecclesia adveniente Natalis Domini die adstanti populo post lectionem evangelicam nuntiet, [ut introitum Quadragesimae nullus ignoret,] in cuius principium convenientes in unum vicinae ecclesiae per triduum cum psalmis per sanctorum basilicas ambulantes celebrent letanias, tertio autem die celebratis hora nona sive decima missis, dimisso populo praecipiant quadragesimae observare ieiunia et mediante quadragesima ex diebus XX baptdiandos infantes ad exorcismi purgationem offerre.

X. *Ut presbyter post cibum non teneat missam pro mortuis.*

Placuit ut quia per stultitiam praesumpti nuper erroris aut certe ex veteris Priscillianae adhuc haeresis foetore corruptos cognovimus quosdam praesbyteros in huius praesumptionis audaciam retineri, ut in missa mortuorum etiam post acceptum merum oblationem ausi sunt consecrare, ideo hoc praefixae evidentis sententiae admonitione servetur, ut si quis presbyter post hoc edictum nostrum amplius in hac vesania fuerit reprehensus, id est ut nec ieiunus, se[d] quoquumque iam cibo praesumpto, oblationem consecraverit in altare, continuo ab officio suo privatus a proprio deponatur episcopo.

His ita gestis placuit omnibus pro confirmanda horum observantia propria unumquemque manu subscribere eo placitorum facto, ut si quis eorum capitulorum terminum transgressus ad inordinatas consuetudines reverti voluerit, totius concilii increpatione correctus severissimam sibi de sui ordinis inclinatione noverit imminere sententiam.

Martinus Bracarenis metropolitanae ecclesiae episcopus his gestis subscripsi.

Remisol Bisensis ecclesiae episcopus his gestis ss.

Lucetius Colimbriensis ecclesiae episcopus his gestis ss.

Adoricus Egestanae ecclesiae episcopus his gestis ss.

Sardinarius Lamicensis ecclesiae episcopus his gestis ss.

Viator Magnetensis ecclesiae episcopus his gestis ss.

Item ex synodo Lucensi

Nitigis Lucensis metropolitanae ecclesiae episcopus his gestis ss.

Andreas Iriensis ecclesiae episcopus his gestis ss.

Witimer Auriensis ecclesiae episcopus his gestis ss.

Polimius Asturicensis ecclesiae episcopus his gestis ss.

Anila Tudensis ecclesiae episcopus his gestis ss.

Mahiloc Britonensis ecclesiae episcopus hic gestis ss.

ITEM CAPITULA EX ORIENTALIUM PATRUM SYNODIS A MARTINO EPISCOPO ORDINATA ATQUE COLLECTA APUD LUCENSE CONCILIUM

Domino beatissimo atque apostolicae sedis honore suscipiendo in Christo fratri Nitigi episcopo vel universo concilio Lucensis ecclesiae Martinus episcopus salutem: Sancti canones qui in partibus orientis ab antiquis patribus constituti sunt graeco prius sermone conscripti sunt, postea autem succedenti tempore in latina lingua translata sunt, et qui difficile est ut simplicius aliquid ex alia lingua transferatur in alteram, simulque et illud accidit ut in tantis temporibus scribtores aut non intellegentes aut dormitantes multa praetermittant, et propterea in ipsos canones aliqua apud simpliciores videantur obscura,

ideoque visum est ut cum omni diligentia et [ea] quae per translatores obscurius dicta sunt et ea quae per scribtores sunt inmutata simplicius et emendatius restaurem id primum observans, ut illa quae ad episcopos vel universo pertinent clero una parte conscripta sint, similiter et quae ad laicos pertinent simul sunt adunata, ut de quo capitulo aliquis scire voluerit possit celerius invenire.

Canones ex orientalium antiquorum patrum synodis a venerabile Martino episcopo vel ab omni Bracarensi synodo excerpti vel emendati tituli, ubi de clericorum seorsum et laicorum sententia restauravit, ut quod translatores a graeco in latinum obscurius dixerunt vel scribtorum ignavia depravaverat aut inmutaverat simplicius et emendatius omnia uno hoc continentur in loco, unde quo capitulo quis scire voluerit possit celerius invenire.

I. De electione episcopi.

Non liceat populo electionem facere eorum qui ad sacerdotium provocantur, sed iudicium sit episcoporum, ut ipsi eum qui ordinandus est probent, si in sermone et fide et in spirituali vita edoctus est.

II. De ordinatione episcopi.

Episcopum oportet maxime quidem ab omni concilio constitui; sed si hoc aut pro necessitate aut pro longinquitate itineris difficile fuerit, ex omnibus tres colliguntur et omnium praesentium vel absentium subscriptiones teneantur, et sic postea ordinatio fiat. Huius autem rei potestas in omni provincia ad metropolitanum pertineat.

III. De evacuanda ordinatione quae absente metropolitano fuerit facta.

Non debet ordinari episcopus absque consilio et praesentia metropolitani episcopi: adesse autem oportet omnes qui sunt in provincia sacerdotes, quos per suam debet epistolam convocare; et siquidem omnes occurrerint, melius; si autem hoc difficile fuerit, plures oportet occurrere; qui autem non convenerint praesentiam sui per suas epistolas faciant, et sic omnium facta consensu ordinationem episcopi fieri oportet. Si autem aliter praeter quod a nobis terminatum est fuerit factum, talem ordinationem nihil praevalere decernimus. Si autem secundum canones ordinatio episcopi fuerit facta et aliquid contra suam malitiam in aliquo contradixerit, plurimorum consensus obtineat.

III. De primatu metropolitani.

Per singulas provincias oportet episcopum cognoscere primatum metropolitani episcopi et ipsum curam suscipere; nihil autem agere reliquos episcopos praeter eum, secundum quod antiquitus a patribus nostris constitutum continetur in canone propter quod metropolitanus episcopus nihil sibi praesumptive adsummat absque consilio ceterorum.

V. De eo qui per ambitionem de inferiori civitate ad maiorem transiens vult agere clericatum.

Si quis in parte alicuius fuerit ambitor inventus sive episcopus sive praesbyter vel diaconus de inferiori civitate non transeat ad maiorem; quod si quis contra haec magni concilii constituta inportunus extiterit, omnimodo evacuetur huiusmodi factum et suae iterum restauretur ecclesiae cuius episcopus aut presbyter aut diaconus prius fuerat constitutus.

VI. De non mutanda parroquia.

Episcopum a propria parrochia non liceat transire in aliam neque sua sponte introire, neque invitatus neque ab episcopo coactus sed permaneat in loco in quo a Deo est ordinatus, et in ea quam sortivit ecclesia secundum antiquorum canonum constitutum.

VII. De praesumptione alienae diaecesis.

Si quis episcopus, non per scribta metropolitani episcopi aut qui cum eo sunt rogatus de alia provincia in aliam venerit, sed praesumptive inruens ad ordinationem et constitutionem clericorum qui ad illum non pertinent inportunus existat, vacua sint et inania omnia quae ab eo fuerint constituta; ipse autem digna increpatione excommunicetur et abominetur a sancto concilio.

VIII. De non constituendo episcopo successore.

Episcopum non liceat ante finem vitae alium in loco suo constituere successorem: si quis autem hoc usurpare temptaverit, talis constitutio irrita erit. Non ergo aliter fieri oportet nisi cum consilio et iudicatu episcoporum qui post exitum praecessoris potestatem habent ordinare quem dignum elegerint.

VIII. De inruptione vacantis ecclesiae.

Si quis episcopus vagans in ecclesiam non habentem episcopum subripiens populo sine concilio integri ordinis inruerit, etiam si populus quem seduxit desideret illum, alienum eum ab ecclesia esse oportet. Integrum autem et perfectum concilium dicimus illud in quo praesens metropolitanus episcopus fuerit.

X. De episcopo per necessitatem vagantem.

Si quis episcopus ordinatus pro contemtionem populi aut pro aliqua alia ratione et non pro sua culpa in parrochia quae ei fuerit data non ierit, hunc oportet honorem sacerdotii tantummodo contingere et de rebus ecclesiae in qua convenit nicil sibi praesumat: sustineat autem quid de eo sanctum concilium iudicare voluerit.

XI. De contemptore episcopo.

Si quis episcopus ab episcopo ordinatus noluerit agere sacerdotium neque consenserit in sibi commissa ecclesia ambulare, istum talem excommunicare oportet; quod si coactus contempserit, sanctum concilium quod placet de eodem determinet.

XII. De seditioso episcopo.

Si quis episcopus ordinatus fuerit et non vult ipsam parrochiam suscipere in qua nominatus est, sed alibi vult ordinare et vim facit et seditiones concitat contra eos qui illum ordinauerunt, hunc ab honore oportet removeri. Si autem in pristino honore presbyterii vult stare, non vetetur et gradum quem habuit retineat; quod si reluctatus fuerit etiam de honore presbyterii ab ordinatore proprio deponatur.

XIII. De dissensione iudicii.

Si quis episcopus in aliquibus causationibus iudicatur et viderit ipsos episcopos qui in provincia sunt inter se iudicio discrepare, ut alii videantur eum qui indicatur iustificare aliique condemnare, pro definitione huius dissensionis hoc placuit sancto concilio, ut de vicina provincia alter metropolitanus episcopus convocetur ut per eum confirmetur quod secundum rectum placuerit canonem.

XIII. De praesumptione episcopi in rebus ecclesiae.

Si quis episcopus nulla ecclesiasticae rationis necessitate compulsus inscio clero aut ubi forte est presbyter de rebus ecclesiasticis aliquid praesumserit vendere, res ipsas ecclesiae propriae cuius sunt restaurare cogatur et in iudicio episcoporum deiciatur auditus sed tamquam furtu aut latrocinii reus a suo privetur honore.

XV. De rebus ecclesiasticis gubernandis.

Quae sunt ecclesiae [debent ecclesiae] conservari cum omni diligentia et bona conscientia et fi[de] Dei qui omnia videt et iudicat. Gubernari ergo oportet cum iudicio et potestate episcopi, cui etiam omnis populus et congregatio commissa est animarum. Manifesta autem esse debent quae ad ecclesiam pertinent in conscientia eorum, qui circa episcopos sunt presbyteres aut diacones, ut hii omnes sciant quae sunt ecclesiae propriae aut si episcopo contigerit transitus, nihil eos latere possit ex his quae ad ecclesiam pertinent, ut nullomodo possint minui et perire. Neque res propriae episcopi debent inopportunitatem pro rebus ecclesiae pati; dignum et re vera et iustum est apud Deum et homines ut ea quae episcopis propria sunt cui voluerit derelinquat, et neque ecclesiam perpati damnum neque episcopum pro rebus ecclesiae condemnari, aut post eius obitum in causas quae ad eum non pertinent aut in maledictum incedere.

XVI. De rebus ecclesiae dispensandis.

Episcopus habeat potestatem in rebus ecclesiae aut dispenset necessitatem habentibus. Cum omni reverentia et timore Dei participare eum oportet quae necessaria sunt: si tamen ipse aut qui cum eo sunt fratres indiguerint aliquid ut necessitatem ut nullomodo patiantur secundum sanctum apostolum dicentem: Victu et tegumento his contenti sumus. Si autem res ecclesiasticas episcopus in suas voluntates usurpare voluerit et lucra ecclesiae vel fructus agrorum non cum presbyterorum vel diaconorum consilio intaminaverit, aut fratribus vel filiis vel quibuscumque propinquis suis dederit potestatem, ut per eos latenter res laedantur ecclesiae, hunc oportet obnoxium esse concilio. Similiter id si episcopus vel qui cum eo sunt presbyteri aut diacones accusentur qui ea quae ex reditu vel ex quolibet actu veniunt ecclesiae in suos sinus colligunt et pauperes fraudant et fame conficiunt, hos corripere oportet secundum quod ordinatum fuerit a sancto concilio.

XVII. De his qui ex vasis ministerii ecclesiae aliquid vendiderint.

Si quis presbyter aut diaconus inventus fuerit aliquid de ministeriis ecclesiae venundasse, quia sacrilegium commissit, placuit eum in ordinatione ecclesiastica non habere; in iudicio tamen episcopi dimittendum est sive dignus sit sive indignus in suo recipi gradu, quia multotiens pro hoc ipsud quod de sacrosancto altario intaminaverint id cum episcopi potestate dimissum est.

XVIII. De synodo facienda.

Propter ecclesiasticas curas et altercationum solutiones bene placuit per singulas provincias bis in anno concilium fieri, vocante metropolitano episcopo omnes provinciae episcopos, ita ut [in] his conciliis procedant omnes, presbyteri, diacones vel hii qui in concilio eorum causae examinatae ad iustum iudicium perducantur; ut si qui manifeste episcopi vel presbyteri aut diacones inventi fuerint in offensa, secundum rationem excommunicentur quandiu communi consensu [mitiorem] de his placuit dari sententiam. Nulli autem episcopo liceat propria apud semetipsum concilia facere praeter eos quibus sunt metropolis creditae.

XVIII. De episcopo qui noluerit venire ad synodum.

Non liceat ad concilium convocatos episcopos continere, sed ire et ea quae ad utilitatem ecclesiae vel ceterorum pertinent [aut docere si novit] aut doceri si nescit: nam si extra aegritudinem contemserit ire, reus erit fraterni concilii.

XX. De legitima aetate ordinandi presbyteri.

Si quis triginta aetatis suae non impleverit annos nullomodo presbyter ordinetur etsi valde sit dignus, quia ipse Dominus tricesimo anno bapuzatus est et sic coepit docere. Oportet ergo eum qui ordinandus est usque ad hanc aetatem legitimam conservari.

XXI. De eunuchis qui ab aliis fiunt vel qui ipsi sibi naturalia abscidunt.

Si quis pro casu aegritudinis naturalia a medicis habuerit secta similiter et qui a barbaris aut hominibus stultis fuerint castrati, et moribus digni fuerint visi, hos canon admittit ad clericatus officium promoveri. Si quis autem sanus non per disciplinam religionis et abstinentiae sed per abscisionem plasmati a Deo corporis aestimans posse a se carnales concuspiscentias amputari castraverit se, non eum admitti decernimus ad aliquod clericatus officium. Quod si iam ante fuerat promotus ad clericum, prohibitus a suo ministerio deponatur.

XXII. De neofitis.

Neofitus qui nuper bapuzatus fuerit iam aetate legitima, non continuo liceat eum ad ecclesiasticum ordinem promoveri, quia oportet illum prius doceri quod possit docere, et multo tempore post bapuzismum probari, ut bene probatus veniat ad clerum secundum praeceptum Apostoli dicentis: «Non neofitus, ne forte in superbiam elatus in iudicium incidat et laqueum diaboli.» Si autem succedenti tempore in aliquo peccato gravi a duobus vel tribus fuerit devictus, depositus de gradu suo cesset a clero. Si quis contra hanc regulam facere presumserit, quasi contrarius magni concilii proiciatur a clero.

XXIII. De poenitente non admittendo ad clerum.

Poenitens autem tantum si necessitas aut usus exegerit, inter ostiarios prius deputetur vel inter lectores, ita ut evangelia vel apostolum legat. Si qui autem ante ordinati sunt, inter subdiacones habeantur, ita ut manum non inponant aut sacra non contingant; ex poenitente enim dicimus de eo qui post bapuzismum pro homicidio aut pro diversis criminibus aut gravissimis peccatis publicam poenitentiam sub cilicio gerens divino fuerit reconciliatus altario.

XXIII. De his qui sine discussione aut presbyteri aut diacones ordinati sunt.

Si quis presbyter aut diaconus sine aliqua examinatione ordinati sunt aut certe quum discuterentur, criminosa peccata sua celaverunt, et post ordinationem ab aliis sunt detecti, abiciantur a clero. Similiter et de universo ordine cleri servetur; nam hoc sibi quod inreprehensibile est sancta et catholica defendet ecclesia.

XXV. De presbyteris vel diaconibus qui post ordinationem denotantur.

Si quis presbyter ante ordinationem peccaverit et post ordinationem confessus fuerit quia ante erravit, non offerat sed tantum pro religione nomen presbyteri portet. Si autem non ipse confessus sed ab alio publice fuerit convictus, nec ad hoc ipsud habeat potestatem ut nomen presbyteri portet. Similiter et de diaconibus observandum est, ut si ipse confessus fuerit ordinem subdiaconatus accipiat.

XXVI. *De his qui viduas aut dimisas, ducunt aut in malis consiliis mixti sunt.*

Si quis viduam aut ab alio dimissam duxerit, non admittatur ad clerum, aut si obrepsit, deiciatur. Similiter si homicidii aut facto aut praecepto aut consilio aut adsensione post baptismum conscius fuerit, et per aliquam subreptionem ad clericatus venerit, deiciatur et in finem vitae suae communionem recipiat.

XXVII. *De fornicatoribus clericis.*

Si quis presbyter aut diaconus fuerit fornicatus aut moechatus, proiciatur et agat poenitentiam.

XXVIII. *De his quorum uxores moechantur.*

Si alicuius uxor in adulterio fuerit deprehensa, hic talis ad ministerium ecclesiasticum nullo modo adducatur. Si autem post ordinationem alicuius clerici uxor adultera fuerit, dimittat eam; sin autem cum ipsa voluerit permanere, a ministerio alienus sit.

XXVIII. *De viduis clericorum.*

Si qua vidua episcopi vel presbyteri aut diaconi maritum acceperit, nullus clericus nulla religiosa cum ea convivium summat; numquam communicet, morienti tantum ei sacramentum subveniat.

XXX. *De filia episcopi vel presbyteri sive diaconi.*

Si devota fuerit et maritum duxerit, si eam pater vel mater in affectum receperint, a communionem habeantur alieni; pater vero causas in concilio se noverit praestaturum; mulier vero non admittatur ad communionem nisi marito defuncto egerit poenitentiam; sin autem vivente eo secesserit et egerit poenitentiam vel petierit communionem, in ultimo vitae deficiens accipiat communionem.

XXXI. *De devota peccante vel quae se maritaverit.*

Devotam peccantem non recipiendam in ecclesia nisi peccare desierit et desinens egerit abtam poenitentiam decem annis et recipiat communionem. Prius autem quam in ecclesia admittatur ad orationem, ad nullius convivium christianae mulieris accedat; quod si admissa fuerit, etiam haec quae eam receperit habeatur abstenta; corruptorem etiam par poena constringat. Quae autem maritum acceperit non admittatur ad poenitentiam nisi adhuc vivente ipso marito caste vixerit aut postquam ipse de hac vita discesserit.

XXXII. *De subintraductis adobtivis mulieribus.*

Nullus episcopus neque presbyter neque omnino aliquis ex clero licentiam habeat intromittendi ad se quasi adobtivam aliquam mulierem quasi in loco filiae aut sororis aut matris, nisi forte sororem veram ex germanitate aut sororem patris aut matris aut et in illas solas personas quae ab omni mala suspicione alienae sunt. Similiter et religiosis foeminis laicorum alienorum familiaritatem et consortium prohibemus, et eorum qui nec in Dei timore subiecti sunt nec retinent continentiae disciplinam.

XXXIII. *De non recipiendis clericis vagis et infirmanda ordinatione eius qui sine consensu episcopi sui ab alio episcopo ordinatus est.*

Si quis in contentu positus presbyter vel diaconus vel quicumque ex clero recesserit ab ecclesia sua, nullomodo in alia suscipiatur ecclesia sed omnimodo compellatur ut ad suam revertatur ecclesiam. Si autem permanserit in superbiam et reverti noluerit, excommunicetur et proiciatur. Si quis autem episcopus ausus fuerit illum in suam

ecclesiam ordinare, non consentiente episcopo suo a quo recesserit, ordinatio eius vacua deputetur.

XXXIII. De clericis desertoribus.

Si quis presbyter aut diaconus aut aliquid de clero propriam ecclesiam derelinquens ad alteram ecclesiam vadit et ibi multo tempore demoratur, omnino unquam ministret in clero; et si amonuerit eum episcopus suus ut ad suam redeat parrochiam et redire noluerit, ubi est ibi de suo officio deponatur, ita ut numquam in suo revertatur gradu propter dissolutionis peccatum. Si autem episcopus alter illum susceperit qui de reatu eius est conscius, oportet ipsum episcopum sine increpatione in communi concilio non admitti, ut ecclesiasticum canonem ultra non solvat.

XXXV. De inportunis clericis.

Si quis episcopus, presbyter aut diaconus excommunicatus in concilio [iniuste] se querit condemnatum, ad maiorem episcoporum concilium revertatur et eorum inquisitionem et iudicium expectans, si quas se causas iustas habere putat, exponat. Si autem contemserit et inportunans se palatio aures principum inquietare voluerit, hic ad nullam veniam poterit pervenire neque spem futurae reconciliationis habebit.

XXXVI. De purganda opinione haeresis.

Si quis episcopus sive alicuius episcopi presbyter aut diaconus in alicuius haeresis opinionem offenderit et ob hanc causam fuerit excommunicatus, nullus episcopus eum in communionem recipiat nisi prius in communi concilio porrecto fidei suae libello satisfaciat omnibus et ita liberam teneat suam purgationem. Hoc idem et de fidelibus laicis sit decretum si in aliquam haeresis opinionem fuerint nominati.

XXXVII. De clericis excommunicatis.

Si quis episcopus in concilio excommunicatus fuerit sive presbyter sive diaconus et post excommunicationem praesumserit sive episcopus ille aut presbyter vel diaconus facere oblationem vel matutinum aut vespertinum sacrificium quasi in officio suo agere sicut prius, non liceat ei nec in alio concilio spem reconciliationis habere nec ultra [re] colligi; sed etiam eos qui [ei] comunicaverint omnes ab ecclesiae respui, maxime eos qui sciebant eum esse deiectum. Si autem permanserit turbans et concitans ecclesiam per forasticam potestatem, oportet eum sicut seditonarium ab omni plebe expelli.

XXXVIII. De presbyteris ut in secundis nuptiis non vadant.

Presbyterum ad secundas nuptias conviviorum ire non oportet pro eo quod hii qui ad secundas nuptias veniunt poenitentiam postulent, quomodo potest presbyter ille esse qui propter convivium interest tali coniugio.

XXXVIII. De his qui ad diaconatum eliguntur.

Si quis ad diaconatum eligitur, si contestatus fuerit pro accipiendo matrimonio et dixerit non posse in castitate permanere, hic non ordinetur. Quod si in ordinatione tacuerit et ordinatus fuerit et postea matrimonium desideraverit, alienus sit a ministerio et vacet a clero.

XL. [De eo quod non licet diaconum non iussum sedere.]

Non liceat diaconum ante presbyterem sedere nisi cum iussione presbyteri.

XLII. [*De eo quod non liceat quemlibet ut ministeria tangat.*]

Non liceat quemlibet ministeria tangere nisi subdiacono aut acolyto in secretario tangere vasa Domini.

XLIII. [*Ut mulieres in sacrario non intrent.*]

Non liceat mulieres in secretario ingredi.

XLIV. [*Si lector alterius viduam duxerint.*]

Lector si viduam alterius uxorem acceperit, in lectorato permaneat, aut si forte necessitas sit subdiaconus fiat, nihil autem supra; similiter et si bigamus fuerit.

XLV. [*Si subdiaconus secundam duxerit uxorem.*]

Si subdiaconus secundam duxerit uxorem, inter lectores vel ostiarios habeatur, ita apostolum non legat.

XLVI. [*Ut non ascendat in pulpitem nisi lector.*]

Non liceat in pulpito psallere aut legere nisi qui a presbytero lectores sunt ordinati.

XLVII. [*De conditionalibus non ordinandis nisi cum consensu patronorum.*]

Si quis obligatus tributo servili vel aliqua conditione vel patrocinio cuiuslibet domus non est ordinandus clericus, nisi probatae vitae fuerit et patroni concessus accesserit.

XLVIII. [*De non suscipiendis servis alienis.*]

Si quis servum alienum causa religionis doceat contemnere dominum suum et recedere a servitio eius, durissime in omnibus arguatur.

XLIX. [*De non celebrandis nataliciis martyrum in Quadragesima.*]

Non liceat in Quadragesima natales martyrum celebrare sed tantum sabbato et dominico pro commemoratione eorum oblationes offerri; sed nec natalicia nec nuptias liceat in XL^a celebrari.

L. [*Non suscipi debere infantes ad bapsum nisi ante tres septimanas Paschae.*]

Non liceat ante duas septimanas Paschae sed ante tres bapsum suscipere; oportet autem in his diebus ut hii qui bapsum sunt symbolum discant et quinta feria novissimae septimanae episcopo vel presbytero reddant.

LI. [*De non solvendo ieiunio in quinta feria Paschae.*]

Non liceat quinta feria novissimae septimanae ieiunium solvere et omnem exhonore Quadragesimam, sed sincere abstinentes totam Quadragesimam perexire aridioribus cibis utentes.

LII. [*De chrisma conficienda.*]

Omne tempore episcopis liceat chrisma conficere et per suas diaeceses destinare, ita ut ad dirigendum chrisma diaconus aut subdiaconus ante diem Paschae de singulis ecclesiis ad episcopum destinetur.

LIII. [*Non liceat presbytero praesente episcopo chrismare.*]

Presbyter praesente episcopo non signet infantes, nisi forte ab episcopo fuerit illi praeceptum.

LIII. [*Quia non licet presbytero ante episcopum in bapstisterio introire.*]

Non liceat presbytero prius ab episcopo in bapstisterium introire, sed cum episcopo, nisi forte aut absens fuerit aut aegrotus.

LIIII. [*De praegnantibus bapstidiandis.*]

Si qua mulier praegnans desideraverit gratiam bapstismi percipere, quando voluerit habeat potestatem, nam nicil in hoc participat mater infanti qui nascitur propter quod unicuique propria [posse] voluntas in confessione monstretur.

LV. [*Quid in altario offerre oportet.*]

Non oportet aliquid aliud in sanctuario offerre praeter panem et vinum et aquam, quae in typo Christi benedicuntur, quia dum in cruce penderet de corpore eius sanguis efluxit et aqua. Haec tria unum sunt in Christo Iesu, haec hostia et oblatio Dei in odorem suavitatis.

LVI. [*De presbyteris forasticis.*]

Forastici presbyteri praesente episcopo vel presbytero civitatis offerre non liceat neque ministrare in populo, nisi forte illis absentibus.

LVII. [*De non ieunanda die dominica nec genuflectendo similiter in Quinquagesima.*]

Si quis presbyter [propter] publicam poenitentiam a sacerdote acceptam aut aliqua necessitate die dominica pro quadam religione ieunaverit sicut Manichaei, anathema sit. Similiter et quod ab apostolis traditum canon tenet antiquus, placuit tam per omnes dominicas quam per omnes dies Paschae usque ad Quinquagesimam non prostrati neque humiliati sed erecto vultu ad Dominum orationum fungamur officium; quia in ipsis diebus gaudium resurrectionis Domini celebramus.

LVIII. [*De abstinentia carniarum* [De praegustandis carnis et non esecrandis.]]

Si quis non pro abstinentia sed pro esecratione escarum se abstinat, placuit sancto concilio ut praegustet, et si sic vult abstinat; si autem spernit ita ut olera cogta cum carnis non degustet, iste non oboediens nec suspicionem haeresis a se removens, deponatur de ordine clericatus.

LVIII. [*De eo quod non liceat sacerdotibus vel clericis incantaturas et contrarias ligaturas facere.*]

Non liceat clericis incantatores esse et ligaturas facere, quod est colligatio animarum. Si quis haec facit, de ecclesia proiciatur.

LX. [*De eo quod non liceat sacerdotibus vel clericis spectaculis interesse.*]

Non liceat sacerdotibus vel clericis aliqua spectacula in nuptiis vel in conviviis spectare, sed oportet antequam ingrediantur ipsa spectacula, surgere et recedere inde.

LXI. [*De eo quod non liceat convivia facere de confertis.*]

Non liceat sacerdotes vel clericos sed nec religiosos laicos convivia facere de confertis.

LXII. [*De usuris vel negotiomm lucris.*]

Si quis oblitus timorem Domini et sanctarum scribaturarum que dicit: «[Qui] pecuniam suam non dedit ad usuram», post hanc cognitionem magni concilii foeneraverit et centesimas exegerit aut ex quolibet negotio turpia lucra quaesierit aut per diversas

species vini vel frugis vel cuiuslibet rei emendo vel vendendo aliqua incrementa susceperit, depositus de gradu suo alienus habeatur a clero.

LXIII. [*De clericis qui ad matutinam vel vespertinum officium non conveniunt.*]

Si quis presbyter vel diaconus vel quilibet clericus ecclesiae deputatus si intra civitatem fuerit aut in quolibet loco in quo ecclesia est ad cotidianum psallendi sacrificium matutinis vel vespertinis horis ad ecclesiam non convenit, deponatur a clero, si tamen castigatus veniam ab episcopo per satisfactinam noluerit promereri.

LXIII. [*De eo quod non liceat clericis dominico ab ecclesia absentari.*]

Non liceat quolibet clericum die dominica ab ecclesia absentem esse, sed missarum solemnibus interesse et ieiunio.

LXV. [*De eo quod non liceat clericis ante horam tertiam prandere.*]

Non oportet clericos vel laicos religiosos ante sacram horam diei tertiam inire convivia neque aliquando clericos nisi hymno dicto edere panem et post cibos gratias auctori Deo referre.

LXVI. [*De adtondendam comam clericorum vel habitu ordinato.*]

Non oportet clericos comam nutrire et sic ministrare, sed attonso capite patentibus auribus et secundum Aaron talarem vestem induere, ut sint in habitu ordinato.

LXVII. [*De eo quod non liceat psalmos poeticos in ecclesia dicere vel libros apocryfos legere.*]

Non oportet psalmos compositos et vulgares in ecclesia dicere neque libros qui sunt extra canonem legere nisi solos canonicos novi et veteris Testamenti.

LXVIII. [*De eo quod non liceat super monumenta mortuorum missa tenere.*]

Non oportet clericos ignaros et praesumptores super monumenta in campo ministeria portare aut distribuere sacramenta, sed aut in ecclesia aut in basilicas ubi martyrum reliquiae sunt depositae ibi pro defunctis oblationem offerre.

LXVIII. [*De eo quod non liceat christianis prandia ad monumenta portare.*]

Non liceat christianis prandia ad defunctorum sepulcra deferre et sacrificia reddere mortuorum Deo.

LXX. [*De eo quod non liceat clericis vel laicis catholicis ab haereticis eologias accipere cum ipsis vel schismaticis orare.*]

Non liceat clericis vel laicis catholicis ab haereticis eologias accipere, quia maledictiones sunt magis quam benedictiones; neque liceat aut cum haereticis aut schismaticis orare.

LXXI. [*De eo quod non liceat christianis obsecrationes diversas attendere.*]

Si quis paganorum consuetudinem sequens divinos et sortilegos in domo sua introduxerit, quasi ut malum foras mittant aut maleficia inveniant vel lustrationes paganorum faciant, quinque annis poenitentiam agant.

LXXII. [*De eo quod non liceat christianis tenere traditiones gentilium et observare lunae aut stellarum cursus.*]

Non liceat christianis tenere traditiones gentilium et observare et colere elementa aut lunam aut stellarum cursum aut inanem signorum fallaciam pro domo facienda vel ad segetes vel arbores plantandas vel coniugia socianda, scriptum est enim: «Omnia quae facitis aut in verbo aut in opere omnia in nomine domini Iesu Christi facite, gratias agentes Deo.»

LXXIII. [*De eo quod non liceat kalendas observare.*]

Non liceat iniquas observationes agere kalendarum et otiis vacare gentilibus neque lauro aut viriditate arborum cingere domos. Omnis haec observatio paganismi est.

LXXIII. [*De eo quod non liceat herbas medicinales cum aliqua observatione colligere.*]

Non liceat in collectione herbarum, quae medicinales sunt, aliquas observationes aut incantationes adtendere nisi tantum cum symbolo divino aut oratione dominica, ut tantum Deus creator omnium et dominus honoretur.

LXXV. [*De eo quod non liceat mulieres christianas in laneficiis aliquid observare.*]

Non liceat mulieribus christianis [aliquam] vanitatem in suis laneficiis observare, sed Dominum invocent [adiutorem] qui eis sapientiam texendi donavit.

LXXVI. [*De adulteris.*]

Si cuius uxor adulterium fecerit aut vir in alienam uxorem inruerit, septem annis poenitentiam agant.

LXXVII. [*De mulieribus fornicariis abortum facientibus.*]

Si qua mulier fornicaverit et infantem qui exinde fuerit natus occiderit, et quae studuerit aborsum facere et quod conceptum est necare aut certe ut non concipiat elaborat sive ex adulterio sive ex legitimo coniugio, has tales mulieres in mortem recipere communionem priores canones decreverunt; nos tamen pro misericordia sive tales mulieres sive conscias scelerum ipsarum decem annis poenitentiam iudicamus.

LXXVIII. [*De homicidio voluntario vel non voluntario.*]

Si quis voluntarie homicidium fecerit, ad ianuam ecclesiae catholicae semper subiaceat et communionem in exitu vitae suae recipiat. Si autem non voluntate sed casu aliquod homicidium fecerit, prior canon septem annis agi poenitentiam iussit, secundus canon quinque annis mandavit.

LXXVIII. [*De muliere qui duos fratres coniugio vel viro qui duas sorores habuerit.*]

Si qua mulier duos fratres aut si quis vir duas sorores habuerit, a comunione abstineantur usque ad mortem; in morte autem eis communio pro misericordia detur. Si vero supervixerint communionem accepta et de infirmitate convaluerint, agant poenitentiam plenam tempore constituto.

LXXX. [*De his qui nubtiis inrunt.*]

Si quis multis nubtiis fuerit copulatus poenitentiam agat; conversatio autem et fides poenitentis compendiat tempus.

LXXXI. [*De his qui se animalibus commiscuerant.*]

Si quis ante XX annos in cuiuslibet animalis commixtione peccaverit, quindecim annis in humilitate subiaceat ad ecclesiae ianuam et post hos alios quinque annos tantum communioni receptus poenitentiam agat, et sic gratiam sacramenti suscipiat. Interrogentur autem alii de eo qualem vitam in poenitentiam egerit et sic communionis misericordiam consequatur. Si quis autem post viginti annos habens uxorem huic peccato inruerit, XXV annis humilitate subiaceat quinque annos orationibus tantum communicans postea recipiat sacramentum. Quod et si hanc mensuram aliquis transgressus fuerit, sacramentum in exitu consequatur. Oportet enim tales inter daemones orare.

LXXXII. [*De his qui usque ad finem vitae in peccatis perdurant et in exitum communionem accipiant.*]

Si quis de corpore exiens novissimum et necessarium communionis viaticum expetit, non ei denegetur. Quod si in desperatione positus post perceptam communionem iterum sanus fuerit factus, tantum orationis particeps sit, nam non accipiet sacramentum donec constitutum poenitentiae impleat tempus. Qui ergo in exitu mortis sunt et desiderant accipere sacramentum, cum consideratione et probatione episcopi accipere debeant.

LXXXIII. [*De his qui intrantes ecclesiam per nimiam luxuriam sacramento abstineant.*]

Si quis intra ecclesiam Dei sacras scripturas [fabulando] non audit et pro luxuria sua avertit se a communionem sacramenti et in observandis mysteriis declinat constitutam regulam disciplinae, istum talem prociendum de ecclesia catholica exire decernimus donec poenitentiam agat et ostendat fructum poenitentiae suae ut possit communionem precepta indulgentiam promereri.

LXXXIII. [*De excommunicatis.*]

Non liceat communicare excommunicatis neque in domos eorum introire neque orare cum eis; neque liceat in alia ecclesia suscipi qui ab alia ecclesia segregatur. Si autem aliquis episcopus aut presbyter aut diaconus aut quilibet ecclesiasticus excommunicato communicaverit quasi perturbans omnem disciplinam ecclesiasticam, excommunicetur.